



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

4 De origine contumeliæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

debet abundantior esse iustitia, modus factus facienda abundantioris humilitatis datus est: & idcirco ad petitionem ueniam modum restitutionis determinauit. Est namque in petitione ueniam maxima hominis, a quo petitur honoratio. Doctores autem dicentes teneri hominem ad ueniam petendam, exponendi sunt, quando non potest aliter restitutionem facere. Vnde S. Tho. superius in questione 72. artic. 2. ad tertium, dicit, quod restitutio honoris ablati per contumeliam, fit per exhibitionem reuerentiae. Satisfactio ergo est in praecipuo, non modus satisfaciendi. Et haec etiam pro 4. 72. q. ar. iustificant.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod quod audaciam conuulsiatis contumeliosi debet aliquis moderate reprimere. f. propter officium charitatis, non propter cupiditatem priuati honoris. Vnde dicitur Proverb. 26. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similibis efficiaris.

AD SECUNDVM dicendum, quod in hoc, quod aliquis alienas contumelias reprimat, non ita timetur cupiditas priuati honoris, sicut cum aliquis repellit contumelias proprias: magis autem uidetur hoc procedere ex charitatis affectu.

AD TERTIVM dicendum, quod si aliquis hoc animo faceret, ut tacendo contumeliantem ad iracundiam prouocaret, hoc pertineret ad uindictam. Sed si aliquis taceat, uolens dare locum irae, hoc est laudabile. Vnde dicitur Eccle. 8. Non litiges cum homine linguato, & non intras in ignem illius ligna.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum contumelia oriatur ex ira.

AD QVARTVM sic proceditur. Videtur, quod contumelia non oriatur ex ira, quia dicitur Proverb. 11. Vbi superbia, ibi contumelia: sed ira est uitium distinctum a superbia, ergo contumelia non oritur ex ira. ¶ 2. Praet. Proverb. 20. dicitur. Omnes stulti miscetur contumeliosis: sed stultitia est uitium oppositum sapientiae, ut supra habitum est: ira autem opponitur mansuetudini, ergo contumelia non oritur ex ira. ¶ 3. Praet. Nullum peccatum diminuitur ex sua causa: sed peccatum contumeliae diminuitur, si ex ira proferat: grauius. n. peccat qui ex odio contumeliam infert, quam qui ex ira, ergo contumelia non oritur ex ira.

SED CONTRA est, quod Gregorius 31. Moralium dicit, quod ex ira oriuntur contumelias.

RESPON. Dicendum, quod cum unum peccatum possit ex diuersis oriri, ex illo tamen dicitur principalius habere originem, ex quo frequentius procedere consuevit propter propinquitatem ad finem ipsius. Contumelia autem magnam habet propinquitatem ad finem irae, qui est uindicta. Nulla. n. uindicta est irato magis in promptu, quam inferre contumeliam alteri: & ideo contumelia maxime oritur ex ira.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod contumelia non ordinatur ad finem superbiae, qui est celsitudo: & ideo non directe contumelia oritur ex superbia. Disponit tamen superbia ad contumeliam, in quantum illi, qui se superiores aestimant, facilius alios contemnunt & iniurias eis irrogant. Facilius enim irascuntur, utpote reputantes indignum quicquid contra eorum uoluntatem agitur.

AD SECUNDVM dicendum, quod secundum Philosophum in 7. Ethicorum, ira non perfecte audit rationem. Et sic iratus patitur rationis defectum, in quo conuenit cum stultitia. Et propter hoc ex stultitia oritur contumelia secundum affinitatem, quam habet cum ira.

AD TERTIVM dicendum, quod secundum Philosophum in 2. Rhetoric. iratus intendit manifestam offensam, quod non curat odians. Et ideo contumelia,

Infr. q. 73. ar. 1. q. ad 3. & q. 158. ar. 7. cor.
q. 46. ar. 1.
Lib. 31. c. 31. a medi.

que importat manifestam iniuriam, magis ad iram, quam ad odium.

QVAESTIO LXXIII.

De Detractione, in quatuor articulos diuisa.

DOSTEA consideranda est de detractione. Et circa hoc queruntur quatuor.

- ¶ Primo, Quid sit detrahitio.
- ¶ Secundo, Vtrum sit peccatum mortale.
- ¶ Tertiò, De comparatione eius ad alia peccata.
- ¶ Quartò, Vtrum peccet aliquis audiendo detractionem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum detrahitio conuenienter diffinitur, quod est denigratio alienae famae per uerba.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod detrahitio non sit denigratio alienae famae per occulta uerba, ut a quibusdam diffinitur. Occultum enim & manifestum, sunt circumstantiae non constituentes speciem peccati. Accidit enim peccato, quod a multis sciatur, vel a paucis: sed illud, quod non constituit speciem peccati, non pertinet ad rationem ipsius, nec debet poni in eius diffinitione: ergo ad rationem detrahitio non pertinet, quod fiat per occulta uerba.

¶ 2. Praet. Ad rationem famae pertinet publica notitia. Si ergo per detractionem denigretur fama alicuius, non poterit hoc fieri per uerba occulta, sed per uerba manifesta dicta.

¶ 3. Praet. Ille detrahit, qui aliquid subtrahit, vel diminuit de eo, quod est: sed quandoque denigratur fama alicuius, etiam si nihil subtrahatur de veritate, puta, cum aliquis uera crimina alicuius pandit: ergo non omnis denigratio famae est detrahitio.

SED CONTRA est, quod dicitur Ecclesiastico 10. Si mordet serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit: ergo occulte mordere famam alicuius, est detrahere.

RESPONDEO. Dicendum, quod sicut facto aliquis nocet alteri dupliciter, manifeste quidem, sicut in rapina, vel quaeque uolentia illata: occulte autem, sicut in furto, & dolosa percussione: ita etiam uerbo aliquis dupliciter ali-

Lib. 7. c. 6. in prin. tom. 5.
Lib. 2. c. 4. declinando ad finem, tom. 6.